



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Compostellano Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

alienis. In alio verò capitulo credimus distinguendum, utrum eo tenore fuerint manumissi & oblato ordini clericali, quòd manumittenti Ecclesiæ, dum vixerint, debent impendere famulatum in obsequiis divinatorum, & tunc transferendi se ad aliam est eis licentia deneganda, vel manumissi extiterint absolutè, sicque libertatem habeant ad aliam transeundi. Datum Viterbij V. Idus Iunij, anno decimo.

ARCHIEPISCOPO TYRONENSI
& suffraganeis ejus.

Epist. 74.
De torneamentis, & de subsidiis terræ sanctæ.

Olim venerabilis frater noster : Episcopus Sueffionensis per suas nobis litteras intimavit quòd cum torneamenta quæ fiebant in suis partibus peregrinationis suæ propositum crederet plurimum impedire, auctoritate nostra in torneatores excommunicationis sententiam promulgarat. propter quod multi Milites fuerunt adeo conturbati ut nec crucem assumere nec aliquid subsidium vellent terræ sanctæ conferre. Vnde postulavit à nobis ut sibi permittere dignaremur ad tempus illam sententiam mitigare. Licet autem intentionis nostræ non esset torneamenta permittere, quæ sacris noscuntur institutionibus interdicta, quia tamen quod provisum erat ad commodum, tendere videbatur ad noxam, eidem Episcopo duximus concedendum ut sententiam ipsam circa omnes vel aliquos relaxare curaret, prout nosceret expedire. Ipse verò in negotio ipso cum debita maturitate procedens, recepta secundum formam Ecclesiæ cautione ab omnibus qui Montis aurei & Laudun. hastiludiis interfuerant, præfatam excommunicationis sententiam relaxavit, tam ipsos quam universos qui vel in hospitio vel etiam aliàs communicarant eisdem nuntiari faciens absolutos. Canonis quidem censura de talibus in suo robore perdurante. Quapropter Milites absoluti plurimum exultantes, devotione unanimi statuerunt certam quantitatem pecuniæ singillatim in terræ sanctæ subsidium destinare. Nos igitur quod ab eodem Episcopo providè ac utiliter factum est approbantes, universitati vestræ auctoritate præsentium mandamus quatinus Milites memoratos ut quod in hereditatis Christi subsidium promiserunt se devotione laudabili soluturos exolvant unusquisque per diocesim suam moneatis prudenter & efficaciter inducatis, ipsos ad hoc, si opus

Tom. II.

fuerit, per distractionem ecclesiasticam compellentes, censuram Lateranensis Concilij circa tales obtinere vigorem debitum faciendo. Datum Viterbij VII. Kal. Iulij, anno decimo.

COMPOSTELLANO ARCHIEPISCOPO,

Proposuisti nobis in nostra præsentia constitutus quòd venientibus ad Ecclesiam beati Iacobi ex diversis regionibus peregrinis, & volentibus aliis ab altaribus per contentiones & rixas altaris de nocte custodiam vendicare, homicidia contingunt interdum, & aliquando vulnera inferuntur. Propter quod humiliter postulasti ut alio modo quam per reconsecrationis beneficium dignaremur ipsi Ecclesiæ providere. Manente igitur Ecclesiæ & altari, fraternitati tuæ insinuatione præsentium innotescat quòd ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino & cinere benedictam. Datum Viterbij XII. Kal. Iulij, anno decimo.

Epist. 75.
De reconciliare possit altare S. Iacobi.
Cap. Proposuiti De consec. Ecclesiæ.

E I D E M.

Super eo quòd fraternitas tua nos consulere voluit, ut quia tota ferè provincia Compostellana de novo est ad jurisdictionem Ecclesiæ tuæ conversa, qualiter tibi provinciam vel partem provincie visitanti obsequi debeat & servire, necnon & in procurationibus providere, te instruere dignaremur, tibi taliter duximus respondendum, quia illud observare tenetur quod in vicinis provinciis observatur. Datum Viterbij X. Kal. Iulij, anno decimo.

Epist. 76.
De procurationibus.
Cap. Super eo. De censib.

ABBATI SANCTI AVBERTI,
& Magistro R. de Bekereel & R. Torel
Canonis Cameracensibus.

Constitutus in præsentia nostra dilectus filius C. Clericus sua nobis insinuatione monstravit quòd cum olim pro injuriis quas. Præpositus Ecclesiæ sancti Audomari super beneficio suo ejusdem Ecclesiæ irrogabat eidem ad sedem apostolicam provocasset, & ipsum ad prosequendam appellationem suam in itinere constitutum ad sedem apostolicam veniendi apud Trecaas contingeret gravi ægritudine occupari, demum ut populi tumultum idem Clericus evitaret, se fecit ad monasterium Clarevallense deferri, ubi cum tandem invalescente morbo fuisset in extasi positus, monachi ejusdem loci eum novitiorum habitu induerunt: qui statim ut ad mentem rediit reclama-

Epist. 77.
De Clerico qui factus fuerat monachus in infirmitate.

F ij